



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

XXIX. Unio domorum S. Luciae, & Portici in Regno Neapolis Provinciae  
Castellae Fratrum Min. Discalceat. Hispaniae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)



*Apr. 5. P. 3. At hujus Pontificis Const. ed. 1714. Jul. 13. P. 14. conceditur facultas restituendi Discretos in d. Provincia.*

CLEMENS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

**N**uper pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis expositum fuit, quod cum alias ad tollenda damna, & incommoda, quae Fratres Provinciae Regnorum utriusque Castellae veteris, scilicet, & novae nuncupatae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ex electione Discretorum, qui a Conventibus, ad effectum sua suffragia in Capitalibus Provincialibus ferendi eligi consueverant, in religiose pacis, & concordiae Regularis disciplinae praerudicium patiebantur, fel. recor. Innocentius Papa XII. Praedecessor noster per quosdam suas in simili forma Brevis die 29. Maji 1693. expeditas literas Discretos praedictos in dictis Provinciae sustulerit, & removerit, ac subinde inter alia remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi, expeditaque desuper Literas praefatas ad Provincias Bathicam, & Navarrae ejusdem Ordinis per alias suas eidem in forma Brevis literas die 12. Septembris ejusdem anni desuper emanatas extenderit, & ampliaverit; dilecti vero filii Fratres Provinciae Flandro-Belgicae supradicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex simili Discretorum electione pati cogantur, tam ipsi, quam praedictus Philippus Rex commune hujus quoque Provinciae bonum promovendi studio ductus, usum eligendi Discretos praedictos in eadem Provincia similiter abrogari, & Apostolicae desuper auctoritatis nostrae partes interponi plurimum desiderant. Nobis propterea ejusdem Philippi Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur piis ipsius Philippi Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attento voto Venerabilis Fratris nostri Nicolai Episcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris ad quem supplicem Libellum Nobis super praemissis porrectum remisimus, remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi in dicta Provincia Flandro-Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda praerudicia, quae in Regularem observantiam, ex illorum electionibus irrepere solent, expedire, ac in Religionis, ejusque Regiminis bonum cessuram esse censentes, Discretos praedictos in eadem Provincia, auctoritate Apostolica tenore praesentium tollimus pariter, & removemus.

**§. 1.** Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: Sicut in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

**§. 2.** Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciae, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quo-

modolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

**§. 3.** Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die XXVIII. Aug. MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Dismembrantur a Provincia S. Petri de Alcantara Regni Neapolis Coenobium S. Luciae de Monte, & Hospitium in Oppido Portici, quae uniuntur Provinciae ejusdem S. Petri Regni Castellae pro FF. Minoribus Discalceat. Hispaniae.

*Hujus Pontificis Const. ed. 1700. Dec. 22. P. 1. restituta suere quatuor Coenobia Provinciae Argentinens. Recollect. Et Const. ed. 1712. Sep. 23. P. 12. revocatur praesens Constitutio.*

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**C**ommissi Nobis celsus pastoralis Officii ratio postulat, ut exorta inter Religiosos Viro Animorum dissidia, ne fraternae charitatis compagem dissolvant, opportunis rationibus dirimere, ac ipsorum Religiosorum statui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur providere studeamus.

**§. 1.** Cum itaque (sicut accepimus) inter dilectos filios Fratres Neapolitanos, & Hispanos Provinciae S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum plures controversiae exorta reperiantur, fierique nequeat, ut dicti Fratres habitatione, & rerum communione conjuncti animis, & contrariis studiis non dissideant, ac proinde expedit, eos ab invicem segregari, ita scilicet, ut Conventus S. Luciae de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitan. dictae Provinciae, & Hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici ejusdem Provinciae Neapolitan. Dioecesis Fratribus dumtaxat Hispanis, Neapolitanis exclusis assignentur: Alii vero Conventus Provinciae praedictae qui octo de praesenti numerantur, Fratribus Neapolitanis tantum remaneant; Hinc est, quod Nos pro paternae pastoralis nostrae sollicitudine agrum Dominicum dictae Provinciae ad bonam frugem, & abundantiam pacis, charitatisque reducere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, Conventum S. Luciae de Monte, & Hospitium S. Petri de Alcantara hujusmodi a dicta Provincia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano tenore praesentium perpetuo separamus, & dismembramus, illaque sic separata, & dismembrata, Provinciae ejusdem S. Petri de Alcantara Regni Castellae Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuo unimus, anneximus, & incorporamus: Volentes, & harum serie ordinantes, ut in illis Religiosi Hispani dumtaxat, qui deinceps Ministro Provinciali secundo dictae Provinciae pro tempore existentis subiecti

1702.

XXIX.

Dat. 15. Sept. 1702. An. 2.

Exordium.

Causa d. Dismembrationis.

Dismembratio, & unio dd. 2. Coenobiorum pro solis Hispanis, qui predicare debent Verbum Dei, & obedire Provinciali Castellae.

Dat. 28. Aug. 1702. An. 2.

Ab Inn. XII. abrogati fuerunt Discreti in Provinciae utriusque Castellae, & Navarrae.

Causae abrogationis Discretorum in Provincia Flandro-Belgica.

Preces Regis Philippi.

Abrogatio dd. Discretorum.

Clausula.



Reliqua 8.  
Coenobia di-  
ctæ Provin-  
ciæ conce-  
duntur folis  
Italæ, qui  
sibi esse de-  
bent Mini-  
stro, seu  
Commissario  
Gen. Italæ.

Clausula.

sint, ac Missionibus, ad spiritualem instructionem Militum Hispanorum in Civitate & Regno Neapolitano prædictis degentium, ac præsidiorum, Arcium, seu Portuum Tusciæ a dicto Regno Neapolitano dependentium operam dare, illisque verbum Dei prædicare, & Sacramentales eorum Confessiones audire teneantur, habitent, & collocentur; Alii vero octo Conventus prædictis Religiosis Neapolitanis, & Italæ tantum remaneant, ac primò dicta Provincia octo Conventibus hujusmodi constans in futurum Ministro Generali, seu Commissario Generali Italæ Ordinis prædicti pro tempore pariter existenti subiaceat, modo, & forma, a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita præscribendis gubernetur.

§. 2. Ac decernentes ipsas præsentis literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causæ propter quas præsentis emanarint, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ fuerint, aut quavis alia, etiam quantumlibet juridica, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut imperato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectu inviolabiliter observari.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Ecclesiæ prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictorum Ordinis Provinciarum, Conventuum, & Hospitii, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorum-

que totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Sept. MDCCLII. Pontificatus Nostri anno Secundo.

Confirmatur Constitutio Inn. XII. de uniformitate tam in habitu quam in cæteris cum universo Ordine pro Canonicis Præmonstraten. Congreg. Hispaniæ.

Laudata Constitutio ed. fuit 1698., Dec. 6., P. 8. Et hujus Pontificatus Const. ed. 1703., Feb. 8., P. 3. idem denuo statuitur.

### C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

**A**lias fel. rec. Innocentius PP. XII. Prædecessor noster supplicationibus tunc existentium Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniæ Ordinis Præmonstraten., qui habitu Regulari ab eo, qui per Regulam dicti Ordinis præscribitur, & ab aliis Canonicis Regularibus ejusdem Ordinis gestatur, diverso utebantur, ac primævum habitum Regularem in limine foundationis Ordinis hujusmodi præscriptum reassumere, eoque in futurum uti, nec non officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare posse cupiebant, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ut de cætero dicti Canonici Regulares Congregationis Hispaniæ cum universo Ordine Præmonstraten. prædicto tam habitu quam in cæteris uniformes essent, & esse deberent, auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas literas tenoris sequentis, videlicet.

INNOCENTIUS PP. XII. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis (reliqua omittuntur).

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Decembris 1698. Pontificatus nostri anno VIII.

§. 1. Cum autem sicut accepimus oppositum fuerit in præinsertis Innocentii Prædecessoris literis nonnullis Constitutionibus dictæ Congregationis Hispaniæ, ac quibusdam re. me. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri die 19. Augusti 1641., aliisque diversis literis Apostolicis in eadem forma Brevis emanatis uniformitati (sicut præmittitur) statuta, & ordinata adversantibus minime derogatum, ipsasque literas præinsertas a persona legitime ad id facultatem, seu auctoritatem non habente, impetratas fuisse, hæque, & aliæ forsan difficultates illarum executionem hæcenus impediverint; nunc vero res ita compositæ reperiantur, ut si Constitutionibus, & literis Apostolicis prædictis a nobis derogetur memoratam dictorum Canonicorum Regularium Congregationis Hispaniæ cum universo Ordine Præmonstraten. uniformitas eidem Congregationi plurimum profuturam obtineri, & stabiliri valeat. Hinc est, quod Nos firmiori præinsertarum Innocentii Prædecessoris literarum robori, & efficacitæ quantum cum Domino possumus consulere volentes, & prædictarum

XXX.

Dat. 6. Nov.  
1702. An. 2.

Summa  
Constitutio-  
nis Innoc.  
XII.

Constitutio  
præd.

a Cause præ-  
sentis Con-  
stitutionis.

Consti-